



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Vtrum sine ista gratia potuerit Anima Christi esse sancta, Deo  
grata, & mereri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



dona habitualia; tum, quia operatio non infunditur; tum, quia operatio non conuenit paruulis, qui tamen iustificantur per infusionem gratiæ, & charitatis; quia loquitur Concilium generatim.

DVBIVM I.

*Utum sine ista Gratia potuerit Anima Christi, esse Sancta, Deo grata, & mereri?*

**R**espondeo; Per potentiam Dei absolutam potuisset Anima Christi carere omni gratiâ habituali; & nihilominus ob solam vnionem hypostaticam fuisset Deo gratissima, sanctissima, & idonea ad meritum.

Prior pars Probatur; Quia Deus omnino liberè infudit illi animæ dona creata, & non erant simpliciter necessaria ad vnionem hypostaticam; quia hæc vnio naturaliter erat prior; & ad illam, non datur vlla præuia dispositio.

*Christus est vnus & Sanctus vnione hypostatica.*

Altera pars Probatur Primò, Quia hæc anima est maximè sancta, & Deo chara ob singularem vnctionem: atqui primaria vnio, à qua hic homo dicitur Christus & Messias; & de qua Scriptura potissimum loquitur, est per vnionem hypostaticam, qua diuinitas non per aliquod suum donum, sed per seipsam, vnxit & imbuit naturam humanam: ergo ob hanc erat maximè sancta.

Maiores patet; Quia nemo sanctus, nisi ratione vnctionis diuinæ. Minor patet; tum, ex ipsa Scripturarum serie; tum, ex D. Augustino lib. 15. de Trin. cap. 26. & Cyrillo lib. De fide ad Theodosium sub finem, & alijs passim. Confirmatur Ioan. 10. v. 36. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, Vos dicitis quia blasphemias: quia dixi Filius Dei sum. Qui locus necessariò videtur intelligendus de sanctificatione per vnionem hypostaticam; nam alioqui parū ad rem faceret. Et ita exponit Chrysostomus in hunc locum, & Hilarius lib. 7. de Trinitate.*

Probatur Secundò, Quia diuina persona hypostaticè vnita illi humanitati, est maior ratio dilectionis & sanctificationis, quam omne donum creatum: Nam eminenter & quasi intensiue omnis gratia creata in illa vnione continetur. Probatur Tertio, Quia vnio hypostatica excludit omne peccatum, adeò vt impossibile sit illam animam peccare: ergo eam maximè sanctificat. Probatur Quarto, Ratione vnionis hypostaticæ omnia dona supernaturalia isti humanitati fuerunt debita: ergo ea erat veluti fons & radix omnis sanctificationis. Hinc vltimò sequitur Christum sine vlla gratiâ habituali potuisse mereri; quia ipsum suppositum, & natura vnita, eiusque actiones, fuissent Deo gratissime, propter dignitatem operantis. Vide Sotum lib. 3. de natura & gratia cap. 6. Sed de hoc plura dicemus infra.

*Christus potuit mereri sine gratia habituali.*

DVBIVM II.

*Utum Gratia habitualis Christi fuerit eiusdem speciei atque nostra?*

*Afirmatur.*

**R**espondeo; Si de natura rei loquamur, certum est fuisse eiusdem speciei. Primò, Quia visio beatifica in Anima Christi, & in alijs Sanctis, est eiusdem rationis, licet illa sit perfectior intensiue: ideo enim Sancti dicuntur coheredes

Christi, & conformes imaginis Filij Dei: ergo etiam charitas, lumen gloriæ, atque adeò gratia habitualis, quæ horum omnium prima est radix. Secundò, Quia valde probabile est in essentia animæ non posse esse perfectiorem & nobiliorem qualitatem quam sit gratia; nam habet proportionem naturalem cum Altissimo fine, scilicet cū visione Dei: ergo erat eiusdem rationis.

Dices; D. Thomas Art. 11. vocat Christi gratiam Vniuersalem principium omnis gratiæ, & alterius rationis quam sit gratia aliorum hominum: ergo non est eiusdem speciei. *Explicit in D. Thomas.*

Respondeo; ita vocari, non quod sit alterius naturæ & speciei, sed quia propter conjunctionem cum Verbo, habet quandam singularem dignitatem & efficaciam, quæ consistit in habitudine ad diuinam personam, & in quadam morali æstimatione; non autem in naturali perfectione.

ARTICVLVS II.

*Utum in Christo fuerint Virtutes?*

**R**espondetur, In Christo fuisse omnes Virtutes. Probatur Primò; Quia in Christo fuit perfectissima gratia; ex gratia autem dimanant virtutes ad perficiendam animæ vires; sicut ex animæ essentia dimanant ipsæ potentie.

Notandum est Primò, Diuum Thomam hic tantum agere de virtutibus supernaturalibus, quæ non inuoluunt imperfectionem; sicut fides & spes, de quibus art. 3. & 4. & quæ non sunt purè intellectuales; de quibus infra q. 9.

Notandum Secundò, Quosdam existimare virtutes effluere realiter & effectiue à gratiâ; sicut potentia animæ ab eius essentia. Quæ sententia sine dubio falsa est, multisque modis refutari potest: sed sufficiat vna ratio. Si enim hoc esset verum, eo ipso, quo quis accipit gratiam aut iustificatur, deberet esse beatus, nisi Deus miraculo impediret. Deinde, fieremus beati per solam remotionem impedimenti. Probatur hoc sequi; Quia si virtutes supernaturales, quæ sunt in potentia, manant naturaliter ex gratiâ: ergo etiam lumen gloriæ; hoc enim propriè respondet charitati tãquam eius mensura: ergo essemus beati, nisi Deus contra naturæ ordinem, hanc emanationem impediret; quo impedimento cessante, statim naturaliter cum solo concursu generali, gratia hoc lumen intellectui refundet. Si dicant, lumen gloriæ non manare ex gratia; sed fidem. Contra Primò, Quia lumen gloriæ propriè est mensura & regula Charitatis: ergo si charitas manat ex gratia, etiam lumen gloriæ. Deinde, lumen gloriæ est suprema virtus supernaturalis perficiens animam: ergo si hæc non manat ex gratia, nec cetera. Tertio, Si lumen gloriæ non manat ex gratia, sed fides: ergo fides fuisset in Christo, & esset in beatis, nisi miraculo impediretur.

*7 Virtutes non effluunt realiter à Gratia.*

DVBIVM I.

*Utum in Christo fuerit Virtus Penitentia?*

**R**espondetur; Non fuisse, quatenus elicit actum penitendi; id est, dolendi & satisfaciendi pro suis culpis: quia in ipso nulla poterat esse